Hall oder Innsbruck, 1442-12-23 (exaktes Datum) , 5./6. Jz. 15. Jh. (u. a. 1442)

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35267
Copyright: Innsbruck, Prämonstratenser-Chorherrenstift Wilten



363

Dixit autem dives ad eum: Habeo quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in locum istum tormentorum. Dicit illi Abraham: Habent Moysen et prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non, pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, poenitentiam agent. Sed ait illi: Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent.

Dum quidam fecit cenam magnam et vocavit multos et misit servum suum hora cenae dicere invitatis ut venirent, quia parata sunt omnia. Et coeperunt simul omnes excusare. Primus dixit illi: Villam emi et necesse habeo exire et videre illam. Rogo te habe me excusatum. Et alter dixit: Emi boves quinque et eo probare illos. Rogo te habe me excusatum. Et alius dixit: Uxorem duxi et ideo non possum venire. Et reversus servus nuntiavit haec domino suo. Et tunc irratus paterfamilias dixit servo suo: Exi cito in plateas et vicos civitatis et pauperes ac debiles et caecos et claudos introduc huc. Et ait servus: Domine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est. Et ait dominus servo suo: Exi in viam et sepes et compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem vobis